

## CAPVT QVINTVM

De

IVRE FRANCICO GERMA-  
NICO ET GENTIVM ALIA-  
RVM.

## §. I.

POST Ius Græcum sequitur IVS FRANCICVM  
atque GERMANICVM. *Capitularia Regum  
Francorum*, Caroli M. & Ludouici Pii anno  
827. separatim descripta & sparsim in mem-  
branis reperta primus congeffit ANSEGIVS,  
eademque libris IV. In horum primum con-  
geffit capitula Caroli M. ad ordinem pertinen-  
tia ecclesiasticum, in alterum capitula ecclesia-  
stica Ludouici Pii, in tertium capitula Caroli  
ad mundanam pertinentia legem, in quartum  
deinque ea, quæ Ludouicus Pius fecit ad au-  
gmentum mundanæ legis, vti tradit Sigeber-  
tus Gemblacensis ad ann. 927. Atque hæc  
congestio statim Ludouici Pii & Caroli Calui  
auctoritate fuit adprobata. Prodiit autem Pa-  
risiis 1550. & cum additionibus atque glossario  
PETRI PITHOEI, Parisus 1588. & cura IA-  
COBI SIRMONDI, Parisus 1640. 8. quam in-  
de Codici suo Legum antiquarum inseruit Lin-  
denbrogius. (\*) Cum vero Ansegisus plurima  
Caroli M. ac Ludouici Pii capitula prætermi-  
sisset

(\*) *Historia Iuris* cap. VI. §. XI. p. 434.